

D.^{NI} D.^{NI}

BLASII ALTIMARI

ADVOCATI NEAPOLITANI

PRÆSTANTISSIMI

D E

NULLITATIBUS

TRACTATUS

ABSOLUTISSIMUS

E T

VERE AUREUS.

D. BLASII
ALTIMARI
J.C. PRÆSTANTISSIMI
TRACTATUS
D E

NULLITATIBUS
SENTENTIARUM, DECRETORUM,
LAUDORUM, ARBITRAMENTORUM,
ET QUORUMCUNQUE ACTUUM JUDICIALIUM
in Duas Partes, Quatuordecim Rubricas, & Trecentas triginta-novem
Quæstiones Principales distributus;
OPUS UTRIQUE FORO ACCOMMODATISSIMUM, GEMINO
locupletatum Indice, Priori Rubricarum & Quæstionum in iis con-
tentarum, Posteriori verò Materialium Notabilium
Alphabetico ordine digesto.

Editio in Germania Prima, Italicâ auctior
& venustior, diu desiderata.

INSIGNE
Libera et Imperialis Civitatis
Coloniæ Agrippinæ.



Regia Sanctorum triplex hac Urbis Corona.
Anglorum Virginieum fulget in Urbe licet.

1626 de 25 Octobris Invenit et Prensit, J. Frohn, J. D.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptib. JUSTI MAXIMILIANI FROHN, J. U. D.
& Advocati Coloniensis. A° 1697.
Cum Gratia & Privilegio Sacrae Caesareae Majestatis.



P R I V I L E G I U M
IMPRESSORIUM CÆSAREUM,
 Super BLASII ALTIMARI Tractatu DE NULLITATIBUS
 ad decennium, &c.



LEOPOLDUS Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniola & Wirtembergae, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore presentium Universis, quod cum NOBIS Noster & Sacri Imperii Fidelis Dilectus Justus Maximilianus Frohn humillimè exposuerit, se ALTIMARI Tractatum DE NULLITATIBUS praelo committendum, ejusdemque Frontispicio Crucifixum Rosatum praeponendum statuisse, vereri autem, ne quod fieri solet, alii

etiam Bibliopala & Typographi quæstus causa, eundem Librum, & modò dictum Crucifixum Rosatum fraudulentè, & magno dispendio suo imitentur praelo committant, distrahant, atque vendant; Ideoque Nos supplicè oravit, ut sibi Privilegio nostro Cæsareo contra omnes ejusmodi fraudes proficere dignaremur, Nos submissè pariter & aequè petitioni huic annuendum censuerimus; Quapropter omnibus & singulis Typographis, Bibliopalis, Bibliopægis, aliisque quibuscunque Librariam negotiationem exercentibus, firmè seriòque inhibemus, & vetamus, ne quis prædictum Altimari Tractatum de Nullitatibus, ut & memoratum Crucifixum Rosatum per decem annorum spatium, à prima editionis die computandum, in Sacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hereditariarum suisve simili aut alio typo, vel formâ, aut sub quovis, vel additionis, correctionis, aliove pretextu, sive in toto, sive in parte, recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere, vel distrahere clam vel palam extra voluntatem & absque ipsius Justi Maximiliani Frohn, ejusque Successorum expresso in scriptis obtento consensu & licentiâ præsumat; Si quis verò secus faciendò Privilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare aut transgredi ausus fuerit, eum non modò præfati Crucifixi iconibus, & ejusmodi Libris, perperam quippe recusi, & adducti, quos quidem prædictus Justus Maximilianus Frohn, ejusque hæredes ubicunque deprehensos, sive propria auctoritate, sive Magistratus auxilio, sibi vindicare poterunt, de factò privandum, sed & pœnâ insuper quinque marcarum auri puri Fisco Nostrò Cæsareo, & fraudis vindicæ ex æquo pendenda, omnè spe veniæ sublatâ decernimus multandum; Dummodo tamen prædictus Liber bonis moribus, sacriq; Imperii Constitutionibus contrarij quippiam non continent, sed Universitatis cujusdam, aut Superiorum suorum Censuram, hujusque Privilegii Nostrì Cæsarei tenorem pro publica notitia atque cautela in fronte expressam exhibent, ejusdemque Operis quinque Exemplaria ad Consilium Nostrum Imperiale aulicum sumptibus impetrantibus transmittantur. Mandamus proinde universis ac singulis Nostris, & S. Imperii, Regnorumque, & Provinciarum Nostrarum hereditariarum subditis, cujuscunque Status, Gradus, Ordinis, aut Dignitatis existant, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel Superiorum suorum nomine & loco, juris & justitiæ administrationem exercent, ne quencquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compererint, præscriptâ pœnâ plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manus nostra subscriptarum, & Sigilli Nostrì Cæsarei appressione munitarum; Quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna, die quarta Mensis Maji, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo Sexto, Regnorum Nostrorum, Romanorum, Trigesimo-octavo, Hungarici, Quadragesimo primo, Bohemici verò Quadragesimo.

LEOPOLDUS.

Vt. Sebastianus Winibaldus Comes
 à Zeyhl, m. p.

(L. S.)

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprius

Franciscus Winandus de Bertram.



TRACTATUS DE NULLITATIBUS BLASII ALTIMARI J. C. NEAPOLITANI P A R S I R U B R I C A I.

Quid sit Nullitas. Unde dicatur, & originem traxerit. Quotuplex sit. In quo differat ab Appellatione, Reclamatione, Supplicatione, Restitutione in integrum, Quærela, Revisione, Recursu, & Reductione ad arbitrium boni viri? An sit odiosa, vel favorabilis, & quo Jure fuerit introducta?

QUÆSTIO I.

Quid sit Nullitas.

SUMMARIUM.

- 1 Non potest determinari super aliqua re, nisi intelligatur terminus ipsius rei.
- 2 Ignoratis principiis, ignorantur quæ sequuntur.
- 3 Scientia à verborum significatione incipit.
- 4 Omnis disputatio à definitione.
- 5 Vocis proprietates rei quidditatē ostendit.
- 6 Non est facienda tota vis in nomine, sed effectus, & num. 7.
- 7 An prius de Ethymologia, quam de definitione agendum sit?
- 8 Omnis definitio in jure periculosa, nu. 10, & 11.
- 9 Legislatores potius descripserunt, quam definiuerunt.
- 10 Illud dicitur tale, quod ex definitione habetur.
- 11 Definitio est oratio naturam rei plenè indicans.
- 12 Quid sit Nullitas in concreto? & quid in abstracto? num. 16, 17.
- 13 Definitio per nos tradita habet genus, & differentiam.
- 14 Definitio appellationis, possessionis, numer. 20.

Pars I.

Ufusfructus num. 21. Albus, num. 22. Habitationis, num. 23.

- 24 Nullitas an sit actio, exceptio, vel officium Judicis? & num. 25, 26.
- 27 Nullitatis definitionis explicatio, & num. 28, 29.
- 30 Ad quid deserviat Nullitas?

QUAM absurdum, & monstruosum sit, priusquam termini alicujus rei intelligantur, determinare super illa re, nemo est, qui nesciat, ad text. in l. aut responsum, C. de transaction. l. 1. ff. de justit. & jure, l. 1. ff. de orig. jur. Ang. cons. 110. Georg. in repetit. feudal. cap. 2. num. 11. Card. Mantica de tacit. & ambig. lib. 23. tit. 1. num. 1. Baronius de citation. quæst. 2. Durr. de societate. qu. 1. Giurba de feudis, præclud. 1. num. 1. Olen de cess. jur. tit. 1. quæst. 1. nu. 1. Carpz. de execut. ultimar. volunt. cap. 1. num. 15. & seqq. Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 1. num. 14. & seqq. Periera de instrum. edit. resol. 1. num. 2.

2. Nam ignoratis principiis, ea, quæ sequuntur, ignorantur. Drv. in cap. nullus, de reg. jur. in 6. §. his igitur, Instit. de jure nat. gent. & civil. Ruger. de Commissar. lib. 1. cap. 2. nu. 1. & seqq. Nig. de laudem. quæst. 1. num. 28. Zacchia de salario, qu. 1. num. 11. Giurba de feudis, præclud. 1. nu. 1.

A 2

3. Cum